DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS

DE

ASCITIDE CHRONICA

QUAM,

ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

LUDOVICI - VINCENTII RAOUL,

Philos. Theoret. et Litt. Doct. et in Facult. Litt. Prof Ord.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA REGIA GANDAVENSI,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE DEFENDET

Josephus-Emmanuel de Lantsheere,

EX OPWYCK (Provincia Brabantiæ Meridionalis).

Die 6 Novembris MDCCCXXIV. h.ª xiª

GANDAVI, EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA

P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE, via Hoogpoorte n° 37.

1824.

Ex decreto Facultatis, 2 Martii 1818, opiniones in Dissertatione propositæ judicandæ sunt Dissertationis auctoribus propriæ, et a Facultate nec probatæ nec improbatæ sunt habendæ.

FRATRIBUS

ATQUE

SORORIBUS

DILECTISSIMIS.

Hasce studiorum primitias
dicat vovetque auctor.


Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.
Ovid.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ASCITIDE CHRONICA.



Hydrops Ascites strictiori sensu vocatur quævis liquidi intra peritonæi cavum collectio.

CAUSÆ.

Ut omnis Hydropis speciei sic et hujus morbi causa proxima in sublato æquilibrio inter actiones vasorum exhalantium et absorbentium consistit; lymphæ igitur secretio nimia vel imminuta ejus absorptio hic accusandæ sunt.

Ad hunc morbum prædisponuntur phlegmatici, debiles atque cachectici: in phlegmaticis enim fibra laxior, humoresque magis

diluti, aquosi, tardiusque moti facile a statu normali degenerare et tali modo organorum et præsertim vasorum lymphaticorum functiones perturbare possunt; tales turbæ in cachecticis ut præsentes supponi possunt; in his enim omnia phænomena humorum dyscrasiam designant.

Morbi acuti et chronici bene multi alias prædisponentis, alias occasionalis causæ vice fungentes, ad hunc morbum disponunt producendo debilitatem vel et cachexiam, sive occasionem præbent mutando structuram vel situm relativum partium ita, ut absorbentium vasorum functiones inde impediantur, ut sunt indurationes, obstructiones, destructiones et congestiones; sic enim ut ex pluribus unum alterumve exemplum afferamus, peritonitis aliusve organi abdominalis inflammatio, quæ uti abunde notum est, facillime induratione terminatur, frequenter ascitem creat.

Inter causas occasionales ascitidis febres intermittentes jure merito numerantur; verum non semper eodem modo hanc Hydropis speciem producunt; aliquando enim debilitas, quæ ab ipso morbo diutius protracto oritur, alias malum regimen in ipsa febre, quandoque perversa curandi methodus morbi causam sistunt.

Abusus aquosorum præsertim tepidorum, actionem organorum digestioni inservientium impediens, tantam laxitatem solidorum et colluviem serosam inducit, ut pro occasionali causa haberi mereatur.

Aer humidus et frigidus in dispositis huncce morbum evolvit; hoc enim non solum perspiratio cutanea imminuitur vel et impeditur, sed præterea fibræ laxantur atque ob illas conditiones, absorptionemque cutaneam pergentem Hydrops nascitur; neque

aer calidus et humidus minus nocet quoniam eo laxitas atque absorptio cutanea adhuc magis augentur.

Spirituosa propter stimulum, quem in corpus animale exercent, quo circulatio, secretiones et excretiones intenduntur, magnam debilitatem et aliquando rigiditatem variorum organorum inducentia, frequens quoque huic morbo occasionem præbent.

Hisce causis ulterius addi possunt evacuationes nimiæ vel et habituales suppressæ; animi pathemata tristia, affectiones spasmodicæ sæpius repetitæ, ortum ducentes ab ira vel terrore incusso; repercussio morborum cutaneorum ut erysipelatis, morbillorum, febris scarlatinæ, etc.

MORBI DESCRIPTIO ET DIAGNOSIS.

Ascites initio sæpe difficulter dignoscitur atque cum aliis speciebus Hydropis vel et viscerum abdominalium morbis facile confunditur; diagnosis tamen omnium certissima plerumque ex causis aut morbis prægressis, qui persæpe ascitidis causæ habendæ sunt, petenda est; aliquando vero illæ causæ obscuriores vel non observatæ sunt.

Morbus hic ut plurimum lente evolvitur; initio observantur quidam torpor atque levis spirandi difficultas, et conqueruntur ægri de sensu ponderis, lassitudine et generali debilitate, quæ omnia pro laticis quantitate augentur; hisce accedunt æqualis abdominis tumor, ad enorme sæpe volumen increscens, humoris in abdomine fluctuatio, concomitante œdemate pedum et scroti.

Dum ascites ad altiorem gradum pervenit, facies fit pallida; urina excernitur parca, sedimentosa, rubore tincta; vexantur ægrotantes siti vehementi; alvus fit tarda, appetitus, qui incipiente morbo adhuc vigebat, sæpe imminuitur; pulsus tardus nunc fit inæqualis: cum interea tumor abdominis augeatur, morbus indies symptomata offert vehementiora: anxietas increscit, pulsus inæqualis, fit parvus, depressus, contractus; accedit anorexia, vel et ventriculus alimenta ferre non potest, adeo ut ingesta quæcumque, anxietatem augeant, et sæpe post moram quamdam evomantur; alvus pertinaciter est clausa vel admodum liquida, fœtidissima; advenit febricula, quæ ad hecticas referri potest; respirationem magis læsam esse denotant dyspnæa, pectoris constrictio et tussicula sicca; variis doloribus cruciantur ægri; artus superiores emaciantur; ulcera, humorem lymphaticum magnâ copiâ stillantia sæpe ad crura vel pedes sese manifestant, quæ aliquando gangrænâ affecta morbum adhuc magis ominosum reddunt; accedit diarrhæa colliquativa, quæ ægri vires jamjam deficientes magis magisque exhaurit; adsunt stupor, convulsiones, somnus perturbatus, ex quo æger præ anxietate sæpe evigilat: dum ad statum illum desperatum morbus devenerit ut plurimum morte terminatur, seu virium generali exhaustione, seu organorum vitalium oppressione, seu tandem suppurationis et gangrænæ progressibus, quæ quandoque variis simul partibus sunt infestæ.

Ascites ab Hydrope saccato distinguitur variis phænomenis: in hoc enim tumor magis circumscriptus est, lentius increscit, fluctuatio difficilius percipitur et sensus ponderis peculiarem abdominis locum occupat; neque in Hydrope saccato œdema pedum neque status cachecticus tam cito observantur.

Ne autem ascites pro Hydrope ovariorum habeatur, observandum hunc morbum lentius increscere, tumorem inæqualem esse, et ad partem abdominis inferiorem, aut præcipue in una alterave regione iliaca incepisse; obscura tantum in hoc fluctuatio vel potius nulla est; menstrua supprimuntur; si alterutrum ovariorum tantum Hydrope afficiatur, artus infimus lateris respondentis aquoso latice tumidus est. Functiones digestivæ in hac Hydropis specie diutius integræ manent.

Ascites cum graviditate confundi nequit. Solus tactus omnem dubitationem arcet; ulterius tumor ventris in ascitide magis quam in imprægnatione superne effertur : color et compositio faciei in hoc ultimo statu naturales; in ascitide e contra facies tumida pallet et oris lineamenta vix agnosci possunt; in hoc tandem aquæ fluctuatio percipitur, in graviditate autem præcipue protracta fœtûs motus manui ventri applicatæ sensibiles fiunt; mammæ tument et renitentes sunt; in Hydrope flaccescunt et subsident.

Nec magis hic morbus pro tympanitide haberi potest; in tympanitide fluctuatio prorsus nulla est, æger nullum experitur ponderis sensum, tumor uniformiter prodit; in ascitide vero habitui corporis vario, varie sese accommodat; in tympanitide deest œdema extremitatum et scroti; hic morbus insuper ructus, flatus et borborygmos comites habet, ubi hæc symptomata in abdominis Hydrope raro tantum observantur; in illo tandem cutis est elastica et percussa, sonum edit æmulum tympani.

Ascites a meteorismo facile distinguetur : nam hic fere semper ut symptoma oritur, et a peculiari intestinorum statu dependet, quæ vel saburrâ sordent, vel paralysi languent, aut materie aeri-

formi distenduntur; cum plerumque phlegmasiis viscerum abdominalium superveniat, causâ quæ eum produxit, dignoscitur ut benignæ diarrhææ suppressione, aut usu remediorum stimulantium in inflammatione : subito insuper accedit, et venter plus minusve renitens est.

PROGNOSIS.

Quamquam ascites morbus sit chronicus admodum pertinax, attamen aliquando curatur. Cæterum signa prognostica ex morbi gradu, constitutione ægrotantis atque morbi causis, ut et ex variis symptomatibus nec non complicationibus petenda sunt.

Si morbus sit recens, subjectum euchymum, si causæ fuerint leviores, facile amovendæ, neque viscerum destructiones adsint, de valetudine restituenda spes erit; dum humoris massa decrescit eâ ratione, quâ urinæ secretio majori energiâ procedit, redeuntibus viribus, magna spes ægri servandi affulget; rarioribus in casibus diarrhæa critica fuit ut et diaphoresis; ut tales haberi possint hæ evacuationes, morbo nondum adulto et cum levamine symptomatum fieri debent.

Quæ prognosim infaustam reddunt, ut plurimum habentur sequentia :

1° Dum humoris collectio, quæ jam per longum temporis spatium ægrotantem cruciavit, a destructione vel dissolutione organorum ortum ducit aut dum febres paludosæ pertinaces vel neglectæ morbo ansam dedêre, prognosis perquam funesta erit.

2° Non multa spes affulget, quando subjectum, etiamsi junioris ætatis fuerit, laborat vitio scrophuloso, rachitico, scorbuto, etc.

3° Hydrops difficillime curabitur, cum a menstruorum suppressione ortum duxerit, ratione morbi complicationis et inefficaciæ medicaminum, quæ plerumque ad fluxum menstruum restituendum adhibentur.

4° Quod pertinet ad ipsum subjectum, notandum Hydropicum ætatis provectæ raro salvari, cujus ratio ex principiis physiologicis deducitur.

Nunc enumeranda veniunt illa symptomata, quæ mortem sæpe præcedunt: 1° Dum increscente humoris in cavitate abdominali contenti massâ, ægrum tussis sicca et continua excruciat, læsionem respirationis testantur anxietas, dyspnæa et thoracis constrictio, artus supremi intumescunt et facies inflatur.

2° Superveniente statu comatoso, sese manifestante motu convulsivo musculorum faciei aut apparentibus vertiginibus, cætitate, aurium susurro vel loquelæ difficultate stipatis, mors prope adest, quia hæc symptomata apoplexiam secundariam denotant.

3° Nec feliciorem morbi exitum prædicit status inflammatorius artuum infimorum ad morbi finem ortus cum dolore, tensione et splendore livescente conjunctus; nam hunc statum sequuntur epidermidis rupturæ mox in gangrænam abituræ.

4° Febris hectica cum diarrhæa colliquativa, intensa siti et calore mordaci cutis conjunctâ pessimi ominis habenda est.

5° Quando sub usu duireticorum lotii fluxus non restituitur, et aquarum massa eadem perstat aut potius augetur, prognosis erit infausta.

CURA.

Quum variæ sint ascitidis causæ et indoles, ejus cura pro hisce varietur necesse est; triplex igitur indicatio in omni ascitide erit adimplenda, scilicet: 1° Aquæ in abdomine collectæ sunt evacuandæ. 2° Causæ, a quibus productæ sunt, amovendæ. 3° Denique debellanda vel pallianda sunt symptomata; attamen prioribus binis indicationibus sæpe simul satisfieri potest, licet aliquando unam ex his implendo, æger pristinam sanitatem recuperavit.

Moles et crasis aquæ in cavo admodum sensili, organisque valde irritabilibus repleto, sæpe tantas difficultates creant ut priorem indicationem sequi teneatur medicus; hunc scopum per vias naturales vel artificiales attinget.

Inter remedia, quæ adhibentur ad aquas per vias naturales evacuandas ab omni tempore diuretica decantata fuerunt, quamvis non semper optatum producunt effectum, de quibus sequentia nobis refert Mead « incertæ autem virtutis sunt in hisce casibus me- » dicamenta quæcumque etiam illa quæ præstantissima censentur » duiretica, quæ in hoc enim respondent, in illo spem fallunt, » aliud igitur atque aliud tentandum est." Et revera hunc in finem ab auctoribus varia commendata sunt, quorum præcipua recensere nobis sufficiet.

Præparata scillitica, quæ omnes omnis fere ævi auctores magni existimarunt, duplici ratione in Hydrope ascitide conducunt, primo scilicet proprio suo stimulo in systema uropoeticum agendo, hujus actionem nempe urinæ secretionem augent; secundo vi

suâ resolvente obstructiones inveteratas, quæ ut vidimus, sæpissime ascitidis causam sistunt, resolvere possunt; itaque si debito tempore debitisque cautelis exhibeantur, egregios non raro edunt effectus; verum cum causæ hujus morbi non semper sint ææedem, et corporis constitutio in variis ægris sit diversa neque idem ille morbus variis temporibus eamdem servet indolem, liquido patet, hæc medicamina haud semper convenire; ipsæ præterea præparationes scilliticæ non nunquam nauseam, vomitum, diarrhæas, dolores colicos aliaque incommoda creant; quare si sub horum remediorum administratione hæc symptomata appareant, mox ab illis est abstinendum; forma administrandi etiam variat; etenim dari potest scilla in pulvere, cum aceto vel vino scillitico aut frequentius cum oxymelle scillitico, addendo aliquid aromatis, ut effectus ejus nocivi in ventriculum præcaveantur.

Diuresis porro promovetur variis aliis remediis nempe infusione florum sambuci, lamii albi, baccarum juniperi, rob ejusdem, tartrit: potassæ acidul. Aliisque diureticis mitioribus, quæ seorsim enumerare et pertractare nos nimis diu retineret.

Præparata spirituosa et vinosa etiam inter diuretica sunt censenda, verum eorum usum non abusum commendamus; conducunt præsertim propter stimulum quem in genere in totum corpus et in systema uropoeticum in specie exercent; igitur in adulto morbo, corporibus debilibus ut et iis, qui spirituosis assueti sunt, bonos sæpe sortiuntur effectus.

Diureticorum actionem non parum adjuvant frictiones in partibus externis nempe abdomine ac artubus infimis faciendæ; in hunc

finem præferri meretur spiritus vini camphoratus; animadvertendum tamen, a frictionibus externis abstinendum esse, dum inflammationis signa in cute apparent.

Herba digitalis purpuereæ etiam in hoc morbo adhibetur dum seu ratione peculiaris morbi naturæ, aut ægri constitutionis pulsus validus et frequens persistit : nonnulli hanc herbam instar diuretici præscribunt et magnam ei tribuunt virtutem; quidquid sit semper exiguâ dosi exhiberi debet, neque ejus usui diu insistendum est, nam vires hoc remedio fractæ ægre restituuntur.

Sudorificis interdum ascitidis curationem auspicari poterit medicus, modo sudores critici aliquod levamen jam attulerint; inter hæc medicamina primum locum tenet pulvis Doveri; attamen qualiscumque sit vis sudorificorum in ascitide curanda, docet experientia majori cum successu adhiberi diuretica.

Hisce nunc expositis, ad ea remedia transimus, quæ secundo loco scilicet ad causalem curam indicantur, inter quæ præcipue numeranda sunt stimulantia, roborantia et resolventia mitiora vel efficaciora.

Si ascites ex debilitate nascatur, in genere roborantia tonica ut et stimulantia conveniunt, tali in casu cortex peruvianus, radices valerianæ, arnicæ, æther nitricus, spirituosa, ferrique præparata haud nimis adstringentia maximæ sæpe sunt utilitatis; verum cavendum est ne adstringentium fortiorum usu actio vasorum absorbentium impediatur.

Si obstructiones arguat Hydrops in genere resolventia indicantur, in quorum selectu tamen ratio habenda est causarum, quæ obstructionibus ansam dederunt; si recentes sint et præcipue hepar

occupent, extracta graminis, taraxici, cichorei, marrubii ect. conducunt ut et quædam salia media ut acetis potassæ, acetis ammoniæ, murias ammoniæ aliaque; verum in eorum usu non nimis diu continuandum est, quoniam inde corpus admodum debilitaretur et adeo status hydropicus augeretur: quum obstructiones sint pertinaciores, resolventibus efficacioribus uti oportet ut sunt gummita ferulacea cum salinis, saponaceis et scilliticis juncta; a quibusdam quoque in hoc casu laudatur mercurius dulcis, et revera in obstructionibus, imo inveteratis efficacissimum non numquam est resolvens, sed hanc ob causam cum eo cautissime est mercandum; agit enim præcipue in vasa lymphatica, quæ valde et peculiari modo ab eo stimulantur, ut igitur ejus usus duiturnus præter alia mala, quæ ex mercurio oriuntur, laxitatem fibrarum et dissolutionem humorum producat, quibus morbus ipse augeri posset; magis tamen efficax redditur si cum radice scillæ jungatur; diarrhææ quæ inde sequuntur prudenti opii usu præverti vel compesci possunt. Cæterum opium hoc in morbo per se non conducit, quamquam Mead semel in casu desperato ex hujus usu egregium viderit effectum.

Si morbus debeatur fluxui menstruo vel hæmorrhoidibus suppressis, omnia remedia tentanda sunt, quæ has evacuationes restituere valent.

Contra ascitidem quoque commendantur purgantia drastica, inter quæ radix et resina jalappæ, aloes, bryonia, rhamnus catharticus, gummi gutta et colocynthis jam ab antiquiore tempore usitata sunt; hæc cum scillâ jungi possunt; sed cum his sollicite est agendum, ne vires subito collabantur, difficillime per tonica restituendæ; idcirco parcâ dosi et per intervalla aliquot dierum danda

sunt; pessimos præstabunt effectus in morbo provecto; desuper semper nocebunt, quum eorum usu vis digestiva imminuatur vel et morbus a solâ debilitate post alios morbos productus fuerit.

Emetica in ascitide duplici titulo adhibita fuerunt scilicet propter succussus, quos producunt, actionem vasorum absorbentium excitant et hepatis functionem mirum in modum restituunt; attamen non sine periculo adhiberentur quando viscera abdominalia et præsertim tubus intestinalis nimis debilitatus sit; idcirco solummodo illa adhibenda esse, quum Hydrops immediate a febre intermittente nascatur, viribus ægri valentibus, celeberrimi in arte viri autumant.

Quibus nunc peractis, sermonem faciemus de mediis adhibendis ut massa aquæ evacuetur per vias artificiales, cui scopo inserviunt paracentesis, scarificationes et vesicantia.

Quo ad paracentesis operationem, quum tempus ejus applicationis difficile determinetur, optimum consilium est hanc non nimis cito instituere, quum aquarum defectu facile instrumento viscera contenta lædi possent; omittenda non est si summa collectio suffocationem vel parietum abdominalium rupturam minetur, et in hoc casu per partitas vices massa humoris contenti educatur oportet, ne collapsus universus superveniat, et ægrotans subito moriatur; addimus quod hæc operatio solummodo ut remedium palliativum sit habenda, quamvis plures sint auctores, qui ascitidis curam radicalem per hanc operationem obtineri posse, asserunt.

Humor, qui paracentesi evacuatur qualitate et quantitate admodum differt; est enim vel diaphana, aquosa, mucilaginosa, fusca, cruenta, fœtida, purulenta vel ichorosa; quantitas ali-

quando modo est aliquot librarum, quandoque enormis, imo ducentas et viginti pintas excedit.

Aliquando succedunt summæ cuticulæ incisiones dum ascitidi existenti anasarca jungitur; sed observatio nondum confirmavit earum ope omnes aquas in cavitate peritonæi contentas evacuari posse; faciendæ sunt quum morbus nimis provectns non sit et epidermis artuum infimorum adeo distendatur, ut rupturæ in cute timeantur; vitandæ sunt dum maculæ lividæ sese manifestant in locis illis ubi instituuntur; cæterum ultra epidermidem non penetrent, et sat magnâ distantiâ a se invicem sint remotæ.

Usus vesicantium ad evacuandas aquas in abdomine contentas parvæ utilitatis nobis esse videtur, quamvis temporarium effectum præstent educendo aliquot uncias ope destructionis epidermidis.

Hæc de curatione morbi dicta mihi sufficere videntur; verum remanet ut de quibusdam remediis palliativis adhuc dicam; de hisce pauca sunt monenda, cum pleraque symptomata in hoc morbo occurrentia non nisi prioribus indicationibus obeundo levari possunt. In primis molestissima occurrit sitis, quæ ut extingui queat usitari solent acidiuscula, diluentia, aquosa, quæ tamen modo pro momento sitim extinguunt. Indicatur a quibusdam abstinentia ab omni fere potu et sitim fallere per fructus horreos conantur; verum talis abstinentia sæpe difficilis vel et plane impossibilis est; præterea potulenta in hoc morbo non solum non nocere, sed et quandoque bonos præstasse effectus plurimi confirmant: inter has potiones infusiones baccarum juniperi vel florum lamii albi, etc., cum pauxillo aquæ cinnamomi, vini rhenani, aceti vel acidi nitrici vel sulfurici diluti commendandæ sunt.

Anxietates, quæ ægrotantes præsertim in ultimo morbi stadio vexare solent, nisi ex magnâ quantitate aquæ oriantur, quo in casu solummodo hujus aquæ ope paracentesis evacuatione levari vel tolli possunt, requirunt cardiaca et opiata.

Vomitus, qui ex irritabilitate ventriculi et intestinorum compressione ortum trahunt, etiam opiatis aut potione Riverii aliquando tolluntur.

Debilitatis sensus et syncope, quæ in asciticis frequentissime occurrunt, præsertim in ultimâ morbi periodo, cardiaca efficaciora ut et vinosa postulant.

Ulcera extremitatum inferiorum, quæ propter humorem, qui sensim sensimque ex iis stillat, maximum quandoque levamen adferunt, non sunt sananda, sed cavendum ne gangrænâ afficiantur, tunc enim miseriæ augerentur, et mors acceleraretur, attamen dum nimis flaccida fierent fomentis aromaticis et roborantibus tractari debent.

Denique diarrhææ colliquativæ compescendæ sunt prudenti opii usu, radicibus columbo, arnicæ aliisque leniter adstringentibus. Hæc præcipua sunt symptomata, quæ in ascitide debellanda vel levanda veniunt.

TANTUM.

POSITIONES.

I.

Nervi optici decussantur.

II.

Arteriæ in circulatione non sunt passivæ.

III.

Non dantur in medicina specifica.

IV.

Maximi est momenti tum in diagnosi tum in prognosi plerorumque morborum præcipue acutorum ad faciem et decubitum ægrotantium attendere.

V.

Errant qui statuunt, uti White, scrophulas non esse morbum hæreditarium : recte vero dicit Richerand Nosogr. chirurg. tom. 1. pag. 162. « Si la maladie scrophuleuse n'est pas contagieuse elle » peut être héréditaire."

VI.

Arsenicum quo nullum fortasse acrius et omnibus animantibus magis lethale datur venenum, si umquam, admodum caute saltem ad febres intermittentes debellandas, adhibendum est.

VII.

Cujusvis morbi curationem tentare periculosum est.

VIII.

Hydropicis tussis superveniens malum. Hyp. Sect. VI. aph. 35.

IX.

Hydropicis ulcera in corpore orta non facile sanantur. Hyp. Sect. VI. aph. 8.

Impressioni mandetur
J. C. VAN ROTTERDAM, h. t. decanus.

